

Chicoyneau lateant. Nescio autem undè plantas habuit, quarum icones tradit; carum paucissimas cognosco. Typothetæ Monspelienses ignorant modum, quo illæ icones ex hisce tabulis nitidè effingi possint, ut exemplaria ad te missa ostendunt: si tamen plures velis icones, licet solus habeam unicum exemplar unius ferè centenarii, mittam lubens.

Finem tuæ epistolæ, minùs nitidè delineatæ, legere non possum, quod doleo; fortè ista lineamenta sunt etiam tuis magis confusa; sed ideò verba quædam ex tuis non distinxi, quia minutiora sunt.

Uxor mea tibi gratias agit maximas pro votis officiosissimis, tibi que et tuæ conjugii venerabunda sua officia offert.

Misi heri ad Dom. de Reaumur *Ardeam cristà dependente*, F. 5, sed cirrhus occipitio dependens albus, vertex et occiput cum dorso atro viridia, collum album immaculatum, supernè cum alis et uropygio cinereum; inferiora albert, tibiæ flavescunt, ungues nigricant. Vocatur vulgò *Mouïai*, à sono vocis. Rostrum totum nigrum est...

Quo modo applicetur vel adhibeatur *Spirit. Salis* in catarrhis et pernionibus doce, quæso...

Exquisitas tuas dissertationes nullus nostrorum bibliopolarum obtinet, eas avidissimè exopto.